

hodie sub alto mari vestigia: unde datur intelligi, non parum jam inde ad hunc diem pelagus littoribus abstulisse. Aufim ad hæc affirmare Medoacum locum ipsum ab initio dictum, inde a recentioribus, ut pleraque alia, pro Medoaco *Metamaucum*, corrupto nomine vulgo appellatum. Albiolani, audita Ducis ac civium ex Medoaco fuga, eo nuncio territi ad deditionem continuo spectare cœperunt: quam factam Medoacenses, qui perpauca domi remanserant, sunt secuti. His receptis, quum ad Albiolæ portum, qui nunc e regione novi Medoaci est, victor Gallus pervenisset, cerneretque (quia omnia hinc mare, inde stagna obtinerent) aut consilium aut rationem belli esse mutandam, ferunt aliquandiu in adverso littore tacitum sedisse, quasi deliberandum, quo conatu id belli quod reliquum erat, profligare posset: ac demum (quod vix credo) vetulæ consilio aquis pontem junxisse, quo cataphracti equites in Rivum-altum trajicerentur. Sunt qui rates ad hoc ipsum structas fuisse tradant. Verum quod ad mulierculæ unius consilium attinet, id vanum omnino crediderim, quasi vero plus stulta anus, atque eadem delira, quid in tanto discrimine opus esset viderit, quam tot hominum millia, quot Gallum sequebantur: quum multi interim Italici generis atque rei maritimæ non ignari cum illo essent, qui vel majoris negotii potuissent fieri auctores. Quod si cætera multitudo id locorum inscia præstare nequivisset, certe Medoacenses, qui cum patria in hostium potestatem venerant, potuere. Nam quod tradunt quidam, præter vetulam unam in tam frequenti nuper loco repertum esse neminem, ridiculum est credere. Non desunt qui dicant, Venetos fame prius tentatos, sed quum machinis quibusdam panes ab his qui adversum litus præsidio tenebant, in castra hostium fuissent coniecti, tum demum ferocissimum Gallum, longioris moræ impatientem, ex doliis tenacissimo nexu contextis, instrataque desuper tenuiore materia, pontem quam longissimum produxisse. Quum igitur apparet, pro libertate, pro templis, pro sua liberumque salute dimicandum: aut si cessassent, omnia superbissimo hosti subjicienda: certo consilio,

*Rivum-altum obsidet  
Pipinus.*